DE DIGESTIONE SPECIEM INAUGURALE QUOD CONSENSU ET AUCTORITATE...

Jacob Schnell

DE DIGESTIONE

Specimen Inaugurale

QUOD

CONSENSU ET AUCTORITATE

SAP. AC MAGNIFICI D. RECTORIS, PERIL. FACULT. M. DIRECTORIS

SPECTABILIS D. DECANI

NEC NON CLARISS. AC CELEBERR. D. D. PROFESSORUM

AUSPICE

D.e CHRISTIANO ANTONIO RIGONI

Physiologiae et Anatomiae sublimis P. O.

Pro Doctoris Dignitate

IN RE MEDICA ADIPISCENDA, SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE TICINENSI

Mense Januarii Ann. MDCCCXXXVIII

UNA CUM THESIBUS PROPUGNANDIS

publice offerebat

SCHNELL JACOBUS

RHAETO-AUSTRIACUS AB AU.

TICINI REGII

EX TYPOGRAPHIA BIZZONI

I. R. UNIVERSITATIS TYPOGRAPHI.

344

ILLUSTRISSIMO DOMINO

MICHAELI MUXEL

SACERDOTI DIGNISSIMO

IN

GRATITUDINIS ET AMORIS TESTIMONIUM

OFFERT

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Si verum est Physiologiam Medicinae fundamentum esse, certe Medicum, hoc nomine dignum, istam scientiam studio suo peramanter oportet amplecti; quum vitam a recto tramite aberrantem non possit rite agnoscere, nisi prius cognoverit, quomodo procedat in statu sano.

Inter physiologicas autem functiones digestio mihi illa esse videtur, quae fundamentum quasi sistit processus vitalis organismi, inde est ratio, cur hanc materiam tractandam selexi.

Sed nimis audax atque temere actum videbitur, tanti ponderis materiam tractare velle tironem, cui explicandae viri docti atque periti multum tempus et studium indefessum impendunt.

Mihi autem in animo fuit, nonnullorum physiologorum opiniones atque sententias de processu digestionis obiter proferre, et si non sunt optimae atque novissimae, saltem falsae omnino non erunt.

Si ordo, in quo res tractantur, forsan non est optimus, attamen spero, illum non plane inconcinnum esse, et omnia saltem ad rem spectare.

Quae excusata, te, benevole Lector, benigne accepturum esse spero.

DE DIGESTIONE.

Digestio est processus chemico-organicus, quo materiae, forinsecus in organismum susceptae, ita mutantur, ut ad ejus nutrimentum aptae fiant, naturam suam proinde seponant et organismo vivo assimilentur.

Uti autem natura in nullo munere est praecox et omnia sapienter agit et gradatim, sic etiam in processu digestionis tria dantur momenta, seu stadia, quibus totum hoc munus peragitur; quorum primum consistit in masticatione et insalivatione, in cavo oris, secundum in chymificatione, in ventriculo, ac tertium in chylificatione, in intestino tenui.

Multifaria et valde nobilia organa, multique succi organici symbolam suam ad processum hunc tam necessarium pro vita organismi, conferunt, quae singula omnia in sequentibus consideranda veniunt.

Cibus est omnis materia, quae aut partes, ex quibus sanguis consistit, jam continet, aut saltem in eas mutari potest, proinde gelatina,

albumen et fibrina, quibus omnibus abundant materiae animales, uti cartilagines, ossa, sanguis, ova, nervi et musculi. Sed et partes plantarum his similes et analogae saltem inveniuntur, et vi digestionis in eas mutari possunt, uti mucus albumini, gluten gelatinae, fibrinae amylum non valde est dissimile, et facile organismo animali ingesta in materias animales transire possunt.

Substantiae minerales cibum praebere non possunt, ac si comeduntur, opplendo ventriculo solum inserviunt, non autem nutriunt, quia materia nutrienti, animali, carent.

Ut autem materiae, cibo revera inservientes nutriendo aptae fiant, oportet eas suam propriam vitam amittere, naturam singularem extinguere, et veram mortem subire, ut processui chemico obedire queant.

Organa et instrumenta, quorum ope haec extinctio materiae, nutriendo adcommodatae fit, sita sunt in cavo oris; et sunt partim mechanica, uti dentes, quibus peragitur masticatio, solutio partim mechanica et partim dynamica ex saliva, quae vi sua chemica et dynamica materiam nutrientem omni vita propria privat, et digestioni in ventriculo aptam reddit.

Saliva est humor aliquantulum viscidus, salinus, quem secernunt tria paria glandularum salivalium.

Ejus analysis pluries a chemicis suscepta est: multa tamen adhuc desiderantur. En quae-

nam Tiedeman et Gmelin recentiori tempore ex illa obtinuerint. Salivà fere ex toto fluidis constat substantiis: vix una vel altera pars ex 100 solidis scatet. Partes solidae salivae illae nempe quae aqua non solvuntur sunt materies salivae propria (salivina) osmazon, mucus, forsitan exigua albuminis portio, in homine nonnihil pinguedinis, in qua phosphori vestigia patent. Sales qui in saliva extant et solvuntur ab aqua sunt acetas, carbonas, phosphas et murias sodae, et substantia alcalina libera nempe soda saltem in homine. Sales salivae ab aqua non solvendi sunt phosphas et carbonas calcis.

De vi atque virtute salivae variant quidem opiniones, et nonnulli credunt eam esse laticem indifferentem, et nihil aliud efficere quam mutationem partium solidarum in fluidas, quum meliori jure ipsi vim magis efficacem, dynamicam et vitae valde inimicam imo sub certis circumstantiis veneficam attribuant.

Hoc saltem certum est, salivam esse humorem magni momenti et valde necessarium organismo, nec aliud fluidum eam posse supplere, atque si in nimis parca quantitate secernitur, vel perditur ptyalismo, vulneribus fistulisque, magna inde incommoda atque damna oriri pro organismo, nempe laesam digestionem, emaciationem et phtysim. Vis autem salivae efficax virtusque ejus solvens extinguensque praeprimis elucet in animalibus ruminantibus, quae plantas

difficile digerendas in magna quantitate avide deglutiunt, ruminando autem, comiscendoque intime cum magna quantitate salivae digestioni et assimilationi idoneas reddunt.

Si porro verum est, serpentum venenum veram salivam esse, et nonnulla animalia carnivora saliva sua vim veneficam exhibere (uti de canibus rabidis et de homine nonnunquam constat) concludere saltem, imo pro vero haberi licebit, salivae virtutem esse non tam indifferentem, imo potius valde efficacem, et vitae inimicam. Notum quoque experientia est, quam cito animalia a serpentibus adhuc viventia devorata in putredinem abeant, foetoremque vix tolerabilem circumspergant.

Ex quibus omnibus mihi sat evidenter demonstratum videtur qualem vim, qualemque influxum habeat saliva in organismo vivo, indeque elucebit, cibos in cavo oris susceptos perpeti non solum solutionem mechanicam, imo potius qualitativam destructionem, et intimam decompositionem particularum minimarum. Tribuitur autem virtus efficacissima salivae naturae et indoli suae alcalinae.

Secundum digestionis momentum absolvitur in cavitate ventriculi ad quam quidem alimenta mox antea in ore comminuta et a saliva compenetrata feruntur per actum deglutitionis.

Digestio in ventriculo perficitur succo gastrico solo, quod evictum est experimentis mul-

tis et acuratissimis clarissimorum physiologorum, quae instituerunt in animalibus et in homine Réaumur, Spallanzani, Gosse et Steevens, praecipue autem Beaumont, qui ex ventriculo vulnerato hominis cujusdam magnam quantitatem succi gastrici puri collexit, processum digestionis observavit, et vario tempore, quae inde resultabant, diligenter accurateque examinavit.

Succus gastricus, vase aliquo contentus et calori expositus carnem simili modo uti in ventriculo digerere ac resolvere valet.

Cibi, tubulis argenteis, foraminibus instructis inclusi et animalibus ad devorandum porrecti in chymum perfecte mutati sunt, quin frictioni parietum exponerentur, quae omnia evidenter demonstrant, succum gastricum praecipuam esse causam chymificationis, licet non sit inficiandum, et motum ventriculi et ejus calorem symbolam suam ad hunc processum conferre.

Est autem succus gastricus fluidum limpidum, sine odore, saporis salini, acidi; in aqua, vino et alcohole solvitur, cum alcalis facile effervescit, praecipitat albumen, difficillime putrescit, imo putredinem materierum animalium impedire valet.

A chemicis indagatus exhibuit acidum muriaticum et aceticum, phosphatem et muriatem lixivae, sodae, magnesiae et calcis, simul et materiam animalem, solubilem quidem in aqua frigida, in fervida autem insolubilem.

Est ergo succus gastricus natura acida, atque sercernitur ex parietibus ventriculi, et secundum Oken a liene per vasa brevia oxydatur, quod tamen secundum alios physiologos valde est problematicum, quum functio et usus hujus visceris in organismo adhuc in dubio atque obscuro versatur, et secundum Joannem Müller animalia sublato hoc organo quoque vitam suam sine ulla molestia degunt.

Certum autem est cibos in ventriculo in massam mutari odoris nauseosi, griseam, pultaceam, quam chymum vocant; tempus secundum Beaumont, quo haec actio naturae procedit, est intra unam et quatuor horas, ubi semper respicienda est conditio ciborum resolvendorum et organismi digerentis.

Si chymificatio perfecte est absoluta, massaque in omnibus suis partibus homogenea formata, desinit irritare fibras musculares ventriculi, et praeprimis illas quae sitae sunt ad exitum inferiorem seu pylorum, quae inde relaxantur. Patet hinc ostium illud, et chymus ex ventriculo per portiones in intestinum duodenum transit, ubi succo pancreatico, succo enterico et bile miscetur, quibus fluidis inquilinis magnam et studio dignissimam mutationem perpetitur, ut ad chylum efformandum idoneus reddatur.

Chymus in intestinum duodenum ingressus ab initio mutatur quidem sed leviter et in suis

potius characteribus physicis: odore nempe, colore, sapore et consistentia, indoles autem ejus chemica eadem adhuc superest, et acidas exerit proprietates. Etenim mutationes majoris momenti et quae ad intimam pultis chymosae mixtionem spectant, paullatim et per gradus contingunt. Tum illae vero tum istae veniunt ex affusione et intima compenetratione humorum quorumdam inquilinorum cum chymo, bilis scilicet, succi pancreatici et succi enterici.

Nonnulla itaque de hisce singulis praemittenda, ut inde ipsorum influxus in chymum uberius innotescat. — Et primum de bile.

Secernitur autem bilis praecipue a sanguine venoso hepatis, naturam exhibet alcalinam, coloris est viridis, saporis amari, odoris nauseosi. Secundum analysim chemicam Berzelii fel tauri in 1000 partibus continet:

Aqnae	875,6
Resinae	30,0
Picromelis	75,4
Materiae colorantis flavae .	5,0
Natri	5,0
Phosphatis sodae	2,5
Salis culinaris	4,0
Sulphatis sodae	1,0
Sulphatis calcis	1,5
Vestigium oxydi ferri. . .	
	1000,0

De bilis usu in tertio hoc digestionis momento multi multa dixerunt. Videntur autem plura esse commoda, quae ab ea repeti debent. In primis eo ipso momento, quo effunditur, irritat membranam mucosam intestinalem, quo copiosius secernitur mucus et vapor entericus: irritat praesentia sua peristalticum intestini motum: obstat quominus principia chymi suae obediant affinitati, et nimis ultra pergat processus oxydationis, qui ab influxu succi gastrici originem habuit, et quo praevalente substantiae acidae et saccharinae nutritioni minus idoneae evolvantnr.

Optime autem id bilis praestat principio illo cholico, in quo carbonium et hydrogenium abundant, vel substantia illa alcaloidea, quam in bile praesto esse omnes consentiunt.

Succus pancreaticus secernitur a glandula, quae pancreas vocatur, quaque animalia non vertebrata carent, et secundum Joannem Mueller non natura alcalina, uti saliva, sed magis acida donatns est indole; continet albumen, materiam caseosam, acidum probabiliter aceticum.

Succus pancreaticus in eo ad tertiam hanc digestionem conferre videtur, ut sua principia proxima azoto abundantia chymo cedat, et cum hujus particulis perfectius solutis absorbeatur: postea pars ejus aquosa portiones chymi nondum satis subactas solvit, et bilem quoque antequam in duodeno effundatur diluit et minus

acrem facit. Non ultimnm hunc esse succi pancreatici scopum evidenter natura ostendit, quum voluerit, ut ductus pancreaticus in choledochum inseratur, aut cum illo in eodem plerumque situ aperiatur.

Succus entericus parum hucusque tentatus fuit: si ex analogia tamen aliquid inferre liceat, humor iste, excepto muco, cum quo jungitur, et qui a glandulis peyerianis paratur, non plurimum differt ab humore de tunicis serosis exhalato. Etenim Pechlin et Brunner ex ligato intestino tenui humorem obtinuerunt quidquam pellucidum, subsalsum albuminosum, ideoque ab igne et acidis coagulandum. Treviranus addit, hunc humorem nunquam acidum sed potius alcalinum esse, proinde a succo gastrico et pancreatico prorsus diversum.

Succus entericus pultem in cavo intestinali contentam fluidiorem facit, et particulas minus confectas solvit, et tubi istius superficiem oblinit; hinc juvat progressivum massae totius motum, et cum quasi pigmentum villis intestinorum insternatur, conditionem ponit, ut absorptio subtiliorum particularum fiat. Principia autem ipsa humoris enterici adduntur chymo, et successivas promovet illius assimilationes.

Interea a mutua illa actione, quam exserunt inter se et chymus et humores in intestino tenui collecti, massa resultat minoris consistentiae, coloris sub-viridis, saporis sub-amari,

indolis alcalinae vel neutrae; et hujus substantiae sequentem praebuerunt analysin Tiedemann et Gmelin.

1. Albumen, cujus copia in inferiore parte intestini tenuis decrescit.

2. Materia caseosa, quae eodem modo imminuitur in tractu inferiore.

3. Salivinum et osmazomum, materia azotica, quae muriate zinci praecipitatur.

4. Materiae alcohole, non autem aqua solubiles: uti materia adiposa, sebacea, et resina bilis.

In pulte autem illa, quam hucusque consideravi, ne quis credat, chylum paratum jam esse, quasi ut pars tenuior ille ab influxu praesertim bilis sponte secederet a portione crassiore, faeculenta substantiae totius.

Ita docuerunt multi, quos inter et Beaumont experimentis quibusdam innixus cum chymo et cum bile susceptis. Magis verosimile est et plerisque acceptum, quod in materie, de qua est quaestio, adsint tantum elementa chylo formando idonea, sed illa primum a vasis chyliferis absorberi et uberius assimilari. Ita procedit chyli generatio in vasis lymphaticis, et revera intra haec tantum chylus est inquirendus.

Si tali modo chylus in tubo intestini tenuis a materiis superfluis est separatus et nutriendo aptam naturam accepit, a vasis lymphaticis per totam superficiem dispersis absorbetur, glandu-

lis meseraicis adducitur; inde pervenit in ductum thoracicum sinistrum, venam cavam superiorem et in cordis ventriculum dextrum, unde perducitur ad pulmones ut in sanguinem mutetur.

Secundum nonnullorum opinionem chylus in glandulis mesenterii jam aliquomodo oxydatur, et secundum observationes physiologorum verum quidem est, chylum in ductu thoracico interdum coloris rubescentis inventum esse.

Ceterum chylus tempore digestionis a vasis lymphaticis absorptus differt a lympha, quae extra illud tempus in hisce vasis continetur, et praecipue quidem colore suo albescente. Sponte et facile chylus in coagulum abit, mox ubi vasa relinquebat, unde serum et globuli oriuntur, quod analogiam inter chylum et sanguinem evidenter declarat.

Differt autem chylus in ductu thoracico sequenti modo a sanguine:

1. Chyli globuli in aqua difficilius quam illi sanguinis solvuntur.

2. Principio colorante rubro carent.

3. Formam et magnitudinem habent differentem.

4. Reagentibus chemicis chylus prodit quidem naturam alcalinam, minore autem gradu quam sanguis.

5. Materiam fibrinosam longe minore quantitate continet, uti et alias partes solidas.

6. Continet et ferrum chylus, sed non tam intime junctum, et se facilius chemicae reactioni prodit.

7. Pinguedinem porro et partes oleosas chylum continere ex multis observationibus constat.

Quae omnia naturam et qualitatem chyli sat evidenter ostendere mihi videntur, et inde facile intelligendum erit, fluidum hoc oxydationi in pulmonibus subductum aptum fieri assimilando nutriendoque varia organa et systemata totius organismi vivi.

Organum autem et instrumentum excernendae materiae superfluae et ad nutriendum ineptae per alvum sunt intestina crassa, quae actio naturae valde est benefica et ad vitam sanam agendam tam necessaria, ut minime indigna sit praecipue medico, ut ab eo diligenter observetur, et quomodo procedat, intelligatur.

Faeces sive excrementa sunt eae materiae organismi superfluae in intestinis tenuibus admodum adhuc fluidae et materiae nutriendo aptae admixtae, qua per vasa lymphatica tandem absorpta solae remanent, et intestinis crassis admoventur, quae munus faeces formandi et perficiendi, bene conformatas autem excernendi sola absolvunt. Elucet inde actio contraria intestinorum, quae tenuia et quae crassa vocantur. Illa nempe inducendae materiae assimilandae, in organismum, haec educendis substantiis iis, quas vita aversatur, inserviunt, ut

ad naturam universalem iterum revertantur, ubi novum circulum ingrediuntur et ad inserviendum organismo denuo praeparantur. Intelligendum inde est naturae studioso, absolutam mortem in vita organica non regnare, imo potius perpetuam fluctuationem inter producendum et delendum, inter formandum et destruendum novam vitam continue excitare atque incendere.

Sunt itaque excretiones organismi non uti ejectiones inutiles et nullius momenti considerandae, quum vinculum constituant inter ipsum et naturam externam; quibus debitum suum absolvit erga elementa, a quibus nutrimentum et auxilium sese conservandi accepit, unde grata et benevola vicissitudo et dispartitio inter omnes naturae regiones oritur, et quo melius hae actiones organismi fiunt, quo magis justo modo ac tempore perficiuntur, eo certius sanitas incolumis constanter viget, eo minus vita turbas ab influxibus nocivis perpetitur.

Ut autem excretio alvina, quomodo procedat, melius intelligatur structura intestinorum, quae crassa vocantur, breviter exponenda est.

Incipiunt intestina tenuia a duodeno, cum multis gyris atque anfractibus descendunt usque ad regionem ossis ilii dextri, ubi finiuntur, et crassa incipiunt, sursum vergunt et tenuia arcus modo quasi circumdant, deinde redeunt deorsum et in ano terminantur. Textura in superficie interna adparet multis regularibus cel-

lulis instructa, quae secundum Lieberkuehn muciferae nominantur, et mucum magna quantitate secernunt, quod praecipue post clysmata injecta videre licet. Longitudo plerumque quinque pedes continet, quum ea tenuium aequet triginta. In intestino coeco fluidum invenitur acide reagens, quod partibus excrementitiis, quae ipsi ex intestino tenui adducuntur, se admiscet, ut inde faeces elaborentur, quae consistentiam magis firmam accipiunt, et varia forma, varioque colore in variis animalibus praeditae tandem ad intestinum rectum promoventur, ut inde foras ejiciantur.

In inferiore tractu intestini recti adsunt plures glandulae majores, quae humorem lubricum secernunt, et quidem in sat magna quantitate apud mammalia, qui et odorem nonnunquam edit penetrantem, uti in viverra zibetha secundum Oken. Vasis quoque nonnullis donatum est, quae ortum non ex vasis mesentericis ducunt, et haemorrhoidalia vocantur. Omnia haec sat digna mihi videntur, quae sciat medicus bene edoctus, qui nisi functiones et organa, quae ad vitam organismi sanam conferunt, bene cognoscat, nunquam munere suo feliciter fungetur.

Et praeprimis processus digestionis in omnibus suis momentis, a cibis assumtis in cavo oris usque ad excretionem materiae superfluae per alvum, ille esse mihi videtur, qui rite

peractus quamplurimum confert ad fruendam integram sanitatem, econtra vitiatus catervae morborum sat gravium et periculosorum praebet ansam.

Duplici fonti debent originem vitia digestionis, ciborum nempe indoli malae, vel statui abnormi organorum humorumque, quibus ea peragitur.

Nutrimenta autem digestionem eo magis in qualitate sua reddunt abnormem, quo longius ipsa ab animalis nutriendi natura distant.

Exemplum habemus in animalibus nonnullis, quod cibi nonnumquam qualitatem suam primitivam tamdiu conservant, ut interdum hujus vestigia adhuc in sanguine inveniantur. Tota saepe animalis caro, pabulum, quo nutritum fuit, sapit, redoletque. Anserum caro seminibus lini nutritorum ingrato olei lini sapore et odore impraegnata est.

Sunt autem mala, quae oriuntur ex cibis vitiatis et ad digestionem ineptis: acidum primarum viarum, quod spasmos, cardialgiam, colicam et diarrhoeam saepius causat. Porro rancor atque putredo chymi et chyli, ex quibus morbi varii assimilationis et febres typhosae prodeunt. Mucus etiam nimia quantitate abundans progignit dispepsiam, absorptionem chyli nimis tardam, stagnationem et cachexias varias. Quae autem vitia digestionis profluunt ex laesa functione organorum et ex indole ab-

normi humorum digerentium, aut ad instrumenta masticationis et insalivationis, aut chymificationis et chylificationis, aut ad organa excretoria spectant. Sic masticandi impedimenta sunt musculorum spasmus aut paralysis, maxillarum luxatio, ankylosis, fractura, defectus dentium, et linguae varia labes, quibus omnibus non solum mechanica ciborum divisio, sed et salivae secretio atque prima digestionis praeparatio impeditur.

Et in deglutiendo multa incommoda possunt obvenire ex linguae, faucium et oesophagi vitiis vel organicis vel dynamicis, uti ex inflammatione, ulcere, tumore et excrescentiis.

Praeprimis autem lingua est, quam stomachi speculum vocare licet, quum ipsa statum pathologicum ventriculi tam clare indicat, ut medico tutissimum signum vitii digestionis saepissime praebeat.

In ventriculo ipso, ubi cibi masticando praeparati succo gastrico in chymum mutantur, mala pro organismo inde oriuntur quammaxima, si hic succus quantitate sua et qualitate peccat, unde appetitus nimis adauctus vel citra normam imminutus est, uti in fame canina, lupina, quae et animi deliquium inducit, vel in anorexia, ubi ciborum appetentia languet.

Sitis quoque morbosa adparet, et aut deficit, aut nimis est adaucta, uti videre licet in multis febribus characteris inflammatorii, quod facile jam ex physiologia explicandum erit.

Exserit vero nonnunquam succus gastricus qualitates tam alteratae indolis, ut sensus in ventriculo et appetentia ejus qualitativo modo mutetur; unde oritur, quod pathologi malaciam et picam vocant.

Quae symptomata morbosa inter se differunt eo modo, ut malacia sit appetitus depravatio, qua ventriculus cum aversatione aliorum certum modo ciborum genus avidissime concupiscit, pica res, in cibos non applicandas vehementer poscit.

Sed et motus saepius peccat ventriculi, atque si est retrogradus; violentior et convulsivus, a pyloro aut duodeno incipiens; diaphragmatis, abdominis et oesophagi musculos in consensum trahens atque ventriculi et intestini duodeni contenta per oesophagum cum impetu foras propellens, vomitum sistit, cujus primum molimen nausea est.

Bilis vitia et quae inde fluunt chylificationis et materiae excernendae sat multa sunt, et prodeunt vel ex secretione ejus aut nimis larga aut nimis parca, vel ex qualitate abnormi, quibus fit, ut chylus non justo modo separetur a partibus superfluis, nec purus atque sincerus efformetur.

Si excerni bilis et ad intestina perduci propter obstaculum mechanicum in ductu choledocho nequit, icterum oriri jam saepius viderunt.

Si motus peristalticus majori vi deorsum agitatur, secretio intestinalis adaugetur, resor-

ptio impeditur et quae intestinis includuntur citius per alvum ruunt: diarrhoeam igitur excitat, quae in lienteriam abit, si motus acceleratur ita, ut cibi vix ingesti crudi per anum expellantur.

Ceterum materiae quae per alvum evacuantur, quantitate, consistentia, colore et odore, in statu morboso multum variant.

Faeces durae longiorem earum in intestinis moram, motus inertiam et secretionem haud justam indicant. Multa inde incommoda oriuntur, uti dolores, anxietas et haemorrhoidum occasio.

Alvus fluidior pro causa agnoscit secretionem humorum intestinalium adauctam, et varia mala, nisi cohibeatur, secum trahere solet.

Faeces, si colorem profundius flavum aut fuscum ostenduut, uberiorem bilis, principio suo extractivo et resinoso scatentis secretionem denotant, excrementa viridia, bilis degenerationem acidam, grisea seu alba ejusdem succi absentiam.

Sanguis cum excrementis evacuatus, haemorrhoides, dysenteriam, liquationem aut laesionem intestinorum comitari solet.

Pus ex abscessu sanies ex ulcere derivatur.

FINIS.